Sic [illegible] πέτρον ἀπόστολον cujus umbra solum morbos, cor=
porisque molestias pellebat, qui interrogatus à Tito Disci=
pulo suo, quare Filiam suam gravi morbo pressam, diutius
aegrotari pateretur? οὕτως illi expedire ἔλεξε, ut scil.
Virginem illam [illegible] sponso reservaret. Quid Dun=
stanum Angliae decus commemorem, qui adhuc sanus
ut monachum profiteretur, nullo modo compelli po=
tuit, at morbo correptus, statim ut convaluit ultro
se Religioni addixit, Pontificia quoque dignitate
effulsit, multisque signorum miraculis nobilitatus fuit?
Tantum illi aegrotasse profuit, quantum si valuisset ei
nocuisset. Audivimus Franciscos atque Ignatios
illos sanctissimos Patriarchas, ac Ecclesiae Dei columi=
na, quorum ille Minorum, hic Societatis fundator
extitit, non ante coepisse esse perfectos, quam gravi
infirmitate iactarentur. Audivimus Hermannos
illos contractos, Ptolomaeos secundos, Beages cum
aegrotarent doctissimos evasisse. Audivimus denique
alios, qui in aegritudinibus didicerunt terrena sper=
nere, ut coelestia, et numquam peritura adipisce=
rentur. Omitto alios quam plurimos, qui dum vale=
bant exemplum iniquitatis, posteaquam vero mor=
bis conflictari coeperunt speculum sanctitatis erant
et ipsum virtutum domicilium qui ipsum vitiorum
barathrum incolebant. Sic se animi morbos, ac sord=
es eluit aegritudo, quo quid utilius esse potest?
Et adhuc quisquam est, qui aegritudine incusare au=